

excellentius, quam vt haec talia fingantur, fuit eorum officium. Labia enim sacerdotum *custodiebant* legem Domini, Mal. II, 7. vt ex ore eorum inquirerent legem, id est, legis interpretationem. Christi vero aduentum, ἐνσάρκωσιν, personam, naturas, officia, status, per sacrificia adumbrabant, promissiones euangelicas per typos applicabant, iratum Deum placabant, atque sic in eorum, qui fidem concipiebant, illuminationem, regenerationem, conuersionem, iustificationem, peccatorum remissionem, renouationem, salutem etiam ipsam, post Dei, verbi, & sacramentorum influxum, ipsi quoque διακονικῶς concurrebant, quod certe ab hominibus, omni gratia destitutis, expectari, aut proficisci non potuisset. III. *Muneris dignitatem & auctoritatem.* Vti enim thronus regiae & ciuilis: ita cathedra Moysi sacrae & diuinae erat dignitatis argumentum. Quamuis enim Pharisei, vt ARETIUS ait, nihil videbantur habere, quo defendi honestius possent, quam Moysi nomen & cathedram: tamen, quia patres, iudices, doctores erant populi, vel hoc nomine in pretio erant habendi. IV. *Muneris normam, atque materiam.* Moses enim solus norma omnium sacrarum actionum, & dogmatum esse debuit. *Ad legem & testimonium*, Esa. VIII, 20. omnia exigere debebant. Mosi nihil *destruendum*, sed nihil etiam *addendum* fuit, Deut. IV, 2. Ideo in Moysi cathedra considebant, vt in ea Mosem, & secundum Mosem, omnia docerent. Hoc quamdiu praestabant Pharisei, in cathedra Moysi sedere, dicebantur. V. *Muneris possessionem & usurpationem.* Frustra enim est GALATINVS, qui, *Sederunt*, inquit, *non sedent*, vt manifeste demonstraret, quod eorum tunc iam cessauerat potestas Lib. IV. c. 6. Approbavit enim, eos adhuc sedere, dum eis obedire iussit. Vnde ERASMVVS ad h. l. Pro *sederunt* rectius diceretur *sedent*, siue confederunt quemadmodum ad ducit

ducit